

Esame P.I.L. Anno Accademico 2010-2011

Traduzione di due brani a scelta

1) “Si quis vult me sequi, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me”. Durum videtur et grave quod Dominus imperavit, ut, si quis eum vult sequi, abneget se ipsum. Sed non est durum nec grave quod ille imperat, qui adiuvat ut fiat quod imperat. Nam et illud verum est quod ei dicitur in psalmo: “Propter verba labiorum tuorum ergo custodivi vias duras”. Et illud verum est quod ipse dixit: “Iugum meum lene est, et onus meum leve est”. Quid quid enim durum est in praecepto ut sit lene, caritas facit. Quid est “Tollat crucem suam”? Ferat quid quid molestum est: sic me sequatur. Cum enim coeperit me moribus et praeceptis meis sequi, multos habebit contradictores, multos habebit prohibitores, multos habebit dissuasores, et hoc de ipsis quasi comitibus Christi.

(*Sant’Agostino*)

2) SS. Michaelis, Gabrielis, Raphaelis arch., ante diem secundum Kalendas Octobres Festiva vos, archangeli, / haec nostra tollunt cantica, / quos in superna curia / insignit ingens gloria. / Tu nos, cohortis caelicae / invicte princeps, Michael, / dextra corusca robora / Deique serva gratiae. / Qui nuntius delectus es / mysteriorum maximus, / nos lucis usque, Gabriel, / fac diligamus semitas. / Nobis adesto, Raphael, / ac patriam petentibus / morbos repelle corporum, / affer salutem mentium. / Vosque angelorum candida / nos adiuvetis agmina, / possimus ut consortio / vestro beati perfrui. / Summo Parenti et Filio / honor sit ac Paraclito, / quos vester uno praedicat / concentus hymno perpetim.

(*Anselmo Lentini*)

3) Cum Matrimonium ad incrementum et sanctificationem populi Dei ordinetur, eius celebratio indolem communitariam exhibet, quae participationem suadet etiam communitatis paroecialis, saltem per aliqua eius membra. Cosuetudinibus locorum attentis, iuxta opportunitatem, plura Matrimonia eodem tempore celebrari possunt vel Sacramenti celebratio fieri infra coetum dominicalem. Ipsa celebratio Sacramenti sedulo praeparanda est, quantum fieri potest, cum nupturientibus. Matrimonium de more intra Missam celebretur. Parochus tamen, respectu habitum necessitatum curae pastoralis, tum modi vitae Ecclesiae participandi sive nupturientium, sive adstantium, videat utrum melius sit proponere Matrimonii celebrationem intra an extra Missam.

(*De celebratione Matrimonii - De praeparatione*)

4) Oratio

Propitiare nobis, quaesumus Domine, famulis tuis per huius sancti Exuperantii confessoris tui atque pontificis, qui in presenti requiescit ecclesia, merita gloriosa, ut eius pia intercessione ab hominibus semper protegatur adversis. Deus qui beatum Exuperantium confessorem tuum atque pontificem in terris vita laudabili decorasti et in caelis aeterna gloria sublimasti, eius, quaesumus suffragantibus meritis, vita nostra apud te commendetur.

Per Dominum Nostrum Iesum Christum qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

(*Vita sancti Exuperantii*)

Analisi del periodo e traduzione delle seguenti frasi

A) Require facies sanctorum, ut te reficias verbis illorum.

(*De doctrina Apostolorum*)

B) Deus misereatur nostri, et benedicat nobis illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri, ut cognoscamus in terra viam tuam in omnibus gentibus salutare tuum.

Salmo 66 (67)

C) Domine Iesu Christe, qui es caput nostrum et corona omnium sanctorum, respice propitius super infantiam huius famuli tui N., qui in Tuo nomine sua celebrat vota et capillos capitis sui tonsurat, ut per huius benedictionis copiam ad iuvenilem pervenire mereatur aetatem et cum gaudio ad futuram gloriam salvandus perveniat.

(*Oratio ad puerum tonsurandum*)